

«Reverendissimo in Christo Patri et Domino INNOCENTIO, Dei Gratia Summo Pontifici et Universali Papæ et tanto tali honore dignissimo, LEO, per eandem et Romani imperii gratia, Rex omnium Armenorum, cum salutatione se ipsum et quid-quid potest.

Gloria, laus et honor omnipotenti Deo, qui Vos tantum et talem pastorem Ecclesiæ suæ præesse voluit, vestris bonis meritis exigentibus, et tam fructuosam et firmam fabricam super fundamentum Apostolorum componere, et tantum lumen super candelabrum positum toto orbi terrarum, ad salutem totius Christianitatis, effundere dignatus est. In vestri vero luminis gratia salutaribus monitis Reverendissimi patris nostri archiepiscopi Maguntini, instructi et informati, omne regnum nobis a Deo commissum amplissimum et spatiosum et omnes Armenios huc illuc in remotis partibus diffusos, ad unitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, divina inspirante clementia revocare cupimus et exoptamus. Ad hæc, calamitates, miserias, paupertates et imbecillitatem regni Syrie et nostri per ipsum prædictum Maguntinum (quia difficilior labor erat scripto retexere) pietati vestræ patefacimus, Ipse vero per singula rei veritatem vobis explicabit, in cujus notitiam istæ non præterere. Hanc utique contritionem et collisionem in valle destituti lacrymarum jamdiu sustinuimus, quam de cœtero sine spe subsidii et auxilii vestri sustinere nequimus. Verum quia zelus domus Dei tepescere non debet in cordibus, tam vestro quam nostro, non ut personam instruentis geramus, ejusdem domus decorem diligere et pro eadem domo murum nos oportet opponere, ut impetos quos super eam faciunt inimici crucis, cooperante Dei gratia, collectis in unum animi viribus resistendo excludamus.

Hinc est quod vestram flexis genibus imploramus pietatem quatenus lacrymabilibus domini Maguntini precibus et nostris, divino intuitu aures misericordiæ; porrigatis et miseriis christianitatis compatientes subsidium christianissimum nobis accurrendo mittatis, antequam irremeabile, quod absit, incurramus diluvium; imo cum Dei et vestro auxilio, evaginato ense de Hur<sup>134</sup> Chaldeorum et persecutione Pharaonis liberari possimus.

Datum Tharsis, anno ab Incarnatione Domini 1199, mense Maio, die vigesima tertia».

Selon l'usage des rois de ce temps, Léon après avoir signé en encre rouge, passait un fil d'or par le parchemin auquel pendait le sceau d'or. Ce fil passait

---

<sup>134</sup> Pour la ville de *Hur* ou *Hour*, et selon quelques-uns *Ourha*, l'on prétend qu'elle fut la patrie d'Abraham, qu'il la quitta par ordre de Dieu, quand il émigra en Syrie.